

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 9714

**Auteur(s)** : Henri II, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : La Hoguette, Saint-André-en-Gouffern (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1169-1185]

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Henri [II], évêque de Bayeux, notifie qu'Onfroï, fils de Roger fils de Guarin de Gouvix, héritier de Robert fils de Gele de Bretteville, a concédé aux moines de Saint-André-en-Gouffern tous les donations faites par ledit Robert et les hommes de celui-ci sur le territoire de Bretteville[-sur-Laize].

## Tableau de la tradition

### Original

A. Caen, Arch. dép. Calvados, H6546bis.

### Éditions principales

a. Dupuy Hubert, *Recueil des actes des évêques de Bayeux antérieurs à 1205*, Thèse, École des Chartes, 1970, 2 vol. (dactyl.), n° 116.

### Indications

Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Extrait des chartes et autres actes normands ou anglo-normands qui se trouvent dans les archives du Calvados*, Caen, Mancel (MSAN ; 7-8), 1834-1838, 2 vol., t. 1, « Abbaye Saint-André-en-Gouffern », n° 58-63, p. 416.

## Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Renouf, chancelier de Bayeux, avant 1176 - vers 1191. Étienne, archidiacre de Bayeux, vers 1169 - avant 1185.

Nicolas, prieur de Plessis-Grimoult, 1150/1154-avant 1190.

Texte d'après A

Henricus, Dei gratia Baiocensis episcopus, omnibus sancte matris Ecclesie fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in Domino perpetuam. Noverit universitas vestra Unfridum filium Rogerii filii Garini de Goviz, heredem Roberti filii Gele de Britevilla, dedisse et concessisse Deo et Beate Marie et monachis Sancti Andree ibidem Deo servientibus, in perpetuam elemosinam, immunes et omnino liberas ab omni servitio et exactione seculari, omnes donationes et concessionones omnium terrarum quas Robertus filius Gele de Britevilla, avus ipsius Unfridi, eisdem monachis dedit et concessit de proprio dominio suo in territorio de Britevilla. Concessit etiam omnes donationes et concessionones quas sui homines de Britevilla in eisdem territoris supradictis monachis de propriis terris dederunt et concesserunt, videlicet totam illam terram Gisleberty sacerdotis que est inter cheminum

calceium et Chasteleth, ipso tantum Gisleberto sacerdote donante et concedente, et totam culturam Botherel quam Willelmus Thanetin de Roberto filio Gele tenebat, eodem Willelmo Thanetin donante et concedente. Homines autem Roberti de Britevilla, ipso concedente et Rogerio filio Garini genero suo similiter concedente, de terris suis propriis eisdem monachis dederunt et concesserunt hec que subjecta sunt : Robertus Rabel et filii ejus de feodo suo dederunt .X. acras ; Bernardus et filii ejus .III. acras ; Osbernus Parvus et Radulfus Feiron .III. acras et dimidiam ad Buschet ; Unfridus filius Huismelini et Ermengart uxor ejus de feodo suo unum campum circa unam acram habentem ; Manesserus Aguilon .III. acras. Idem etiam Manesserus dedit et concessit eisdem monachis de terra sua de Britevilla .X. acras in perpetuam elemosinam habendas, pro quibus predictus Robertus de Britevilla dedit Rogerio filio Garini genero suo et uxori et filiis ejus .CCC. solidos Andegavensium ut concederent predicto Manessero terram de Tornorio pro decem acris terre quas monachis dederat et concesserat. Ranulfus, filius Hugonis .III. virgatas ; Radulfus Burnof .III. virgatas ; Ansgotus dimidiam acram que vergit super cheminum calceium et tres filii ejus concesserunt ; Ansketillus Aquenel .III. virgatas ; Rogerius Jumel et Douin frater ejus unam acram et dimidiam ; Gaufridus Lefranceis et Odelina mater ejus et Rogerius de Bonchoteria gener ejus .III. virgatas ; Willelmus Rabel de Choloniis dimidiam acram Roberto Paisant concedente ; Bernardus Aquenel et Lambertus filius ejus dimidiam acram ; Ansgoto socero ejusdem Bernardi et sorore sua concedentibus quia in dotem ei illam terram dederat ; Bernardus Rabel et Manesserus socer suus .I. virgatam et dimidiam ; Unfridus de Stratis .I. acram de feodo suo de Britevilla, uxore sua concedente, hanc vero donationem Unfridi post mortem ejus Rogerius Patric filius ipsius eisdem monachis concessit et alteram acram de eodem feodo eisdem dedit et concessit ; Bernardus Rufus dimidiam acram ; Bernardus Rabel et filii ejus .III. acras. Si vero processu temporis evenerit ut aliquid de feodis illis, de quibus monachi elemosinas habent, in proprium dominium Unfridi vel successorum ejus veniat, propter hoc non amittent aliquid de elemosinis sibi collatis, sed omnes illas elemosinas liberas et omnino quietas in perpetuum possidebunt. Has vero omnes donationes Unfridus, filius Rogerii filii Garini de Goviz, heres predicti Roberti filii Gele de Britevilla, immunes et omnino liberas ab omni reddito et servicio, monachis Sancti Andree dedit et coram nobis concessit et in manu nostra posuit sigillique sui munimine confirmavit. Quod quia ratum et inconcussum volumus permanere in posterum, id carte nostre testimonio et sigilli nostri patrocinio communimus. Testibus his : magistro Rannulfo cancellario, Stephano archidiacono, Nicholao priore de Plessetio, Henrico de Sonnigerew, Roberto Capellano, Joscelino clerico, Ranulfo templario, Rogerio Bouet, Henrico Prudentia et pluribus aliis.